



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 87. Propositiones de futuris contingentibus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

seu de Puteo, qui a Pontifice extra Religionem manendi veniam obtinuerat, in Longobardorum collegio agebat, illiusque Rector erat. Hic in eodem confessa Facultatis Doctores adiit, ac publice docendi munere decorari petiit, eo quod non nisi solo nomine Religiosus esset, ac haud levia in erigendo hocce Collegio obsequia praestitisset. Facultas dilaudato Viri studio, precibus ejus annuere detrectabat, ne lege definitus Professorum numerus, qui ex Mendicantium Ordinibus assumi possent, excederetur.

## §. LXXXVII.

*Propositiones de futuris contingentibus.*

Cum alius quidam nomine Petrus de Rivo Lovanii doceret, quod Propositiones, quæ de futuro enuntiantur, veluti: *Christus veniet: futura erit resurrectio mortuorum*, non habeant determinatam veritatem, atque illi, qui ejusmodi propositiones tanquam veras tenerent, eorum erroribus implicentur, qui cuncta ex necessitate fieri asserunt; hinc adversus hanc doctrinam una omnes Doctores insurgent. Cum vero Petrus suam doctrinam hoc argumento fulcire nitetur: quicquid per necessariam consecutionem sequitur, ex inimpedibili, hoc est in-

Sæcul. XV.  
A.C. 1470.

*Argent.*  
*Collecti judic.*  
*de novis error.* fol. I.  
pag. 258.



Sæcul. XV  
A.C. 1470

*impedibile, & necessarium hinc Henricus Zoëmeren, & Jacobus Schelwaërt, quorum uterque ex Parisiensis Academiæ gremio ad Lovaniensem assumptus erat, Petrum erroris insimulabant, necnon Theologicæ Facultatis Parisiensis consilium hac super re expetebant. Hujus autem judicium his verbis erat conceptum. Anno Domini millesimo, quadragesimo, septuagesimo duodecima Novembris petierunt Theologi Lovanienses a Facultate Theologicæ, an propositiones de futuro positæ in Symbolo, sicut istæ: Christus veniet ad judicium, resurrectio mortuorum erit, sint dicendæ veræ, & an dogmatizantes eas & prædicantes esse veras, incidant in errorem dicentium: omnia de necessitate evenire, quibus post maturam deliberationem omnium sic respondit facultas theologicæ: quod omnes propositiones contentæ in Symbolo sint verissimæ & certissimæ, irrefragabilisque veritatis ab omnibus Catholicis firmiter ac fideliter credendæ, & ab illis, quibus incumbit, constanter asserendæ, prædicandæ ac defendendæ, nec propterea sic eas credentes, prædicantes, dogmatizantes & defendentes incidant in errorem illum, quod omnia de necessitate eveniant, nec in alium quemcunque errorem. Theologi Lovanienses Parisiensi hoc judicio necdum contenti, literis ad Papam datis totum negotium Romæ discuti petebant. Ea occasione Cardinalis*



nalis S. Petri ad vincula, qui postea in Sæcul. XV.  
 Papam electus Sixtus IV. vocabatur, tra- A.C. 1470.  
 statum de futuris contingentibus a Ciaco- *Ciacon. vitæ*  
 nio in vitis Pontificum laudatum elucu- *Et rei gestæ*  
 bravit; ipsæ vero Petri de Rivo proposi- *Pontif. Rom.*  
 tiones ad viginti quinque capita reductæ *in Sixto IV.*  
 omnes proscriptæ fuerunt.

§. LXXXVIII.

*Typographiæ usus Parisiis inductus.*

Primus typographiæ usus apud Pari- *Joannes de*  
 sienses hoc anno millesimo quadrin- *la Caill. hist.*  
 gentesimo septuagesimo invaluit; hujus *typogr.*  
 artis peritia ex urbe Constantiensi Lute- *Chevillier de*  
 tiam delata fuit per Udalricum Gering, *origin. ty-*  
 qui unacum sociis suis Martino Crantz, *pogr.*  
 & Michaelæ Friburger eo se contulit. *Vid. supr.*  
 Hos tres Joannes de Petra Sorbonnicus *lib. CVIII.*  
 Prior, & Guilielmus Fichet Doctor Pa- *§. CLVI.*  
 risios venire rogabant. Ii vero in qua- *Galois tract.*  
 dam Sorbonnensis Collegii aula ad *de Biblioth.*  
 artis suæ exercitium designata prelo plura  
 subjecerunt opera; evolutis tamen ali-  
 quibus annis inde recesserunt, ac alior-  
 sum se conferebant. Hæc fuere Pari-  
 siensis typographiæ initia, cujus usus e-  
 xiguo temporis spatio ad plures alias  
 Franciæ urbes propagatus est, & jam-  
 jam anno Servatoris millesimo quadrin-  
 gentesimo septimo Lugdunensibus literis  
*novum Testamentum, Gallico idiomate, Le-*